

26
OBSERVATIONES QUÆDAM
CIRCA
VARIOLARUM INSITIONEM

QUAS

PRO

SPECIMINE INAUGURALI

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE ATQUE DECRETO

CELEBERRIMÆ ET EXPERIENTISSIMÆ

FACULTATIS MEDICÆ

IN ACADEMIA REGIA DUISBURGENSI

PRO

*GRADU DOCTORIS MEDICINÆ
ET CHIRurgiÆ*

SUMMISQUE IN ARTE MEDICA HONORIBUS, IMMUNITA-
TIBUS ET PRIVILEGIIS RITE LEGITIMEQUE
ACQUIRENDIS


PLACIDÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI

SUBMITTIT

SIEGMUND ALEXANDER

EX ZERNETZ RHAETUS.

DIE XXIX. APRILIS. MDCCLXXXVII.



D U I S B U R G I,

TYPIS VIDUÆ BENTHONIANÆ, ACAD. TYPOGR.

CONSERVATIONES QUEDAM

204

VARIOLARUM INSCRIPTIONES

QUAS

170

SPRINGER INVENIT

AMSTERDAMI BUNDO MDCCLXX

IN ACADEMIA ANTIQVAE DISCIPLINAE
MAGISTRALIS ET ACADEMIAE ANTIQVAE DISCIPLINAE

BACCVLATAE MEDICAE

IN ACADEMIA ANTIQVA DISCIPLINAE

GRADU DOCTORIS MEDICINAE

ET CHIRURGIAE

CONSTITVIT IN AETATE MEDICI HONORIS TITVLI

FRANCIS SEBASTIANVS DISPOSITVS

SIEGMVND ALEXANDER

DR. MED. ANTIQVAE DISCIPLINAE

DISPOSITVS

IN VIBIS HAMBVRGAE, ANNO MDCCCLXX

Cop
riolar
hinc
quent
ne ob
& alio
nondu
ur ac
mum
E



OBSERVATIONES QUÆDAM
CIRCA
VARIOLARUM INSITIONEM.

Copiosa satis exstant scripta, in quibus insitionis variolarum methodus fufe satis & distincte tradita est, hinc inutile cenfeo repetere hæc, quæ ab aliis frequenter jam dicta sunt. Quædam tantum sub insitione observata, quæ memoratu non indigna videntur, & aliorum forte attentionem in symptomata quædam nondum satis explicata excitare poterunt, hoc loco, ut academiæ legibus satisfaciam, pro specimine communicabo.

§. I.

Experientia docuit, eorum, qui ex variolarum in-

A 2

sitione

✠

fitione graviter decubuerunt, vel durante inoculationis periodo mortui sunt, plurimos fuisse infantes nondum biennes; neque mirum est, eo enim tempore facile dentitio, interdum difficilis, supervenit; consuetudo etiam regiminis calidioris, quod non tam facile in frigidum mutari potest, febrim, adeoque morbum graviolem reddere solet; & vermes eo stadio frequentiores & irritabilitas major & alia majus periculum inferunt.

Hinc, si necessitas non urget, infantes infra biennium nati, non inoculentur; si vero variolæ epidemice grassantur, si infectionis a naturalibus periculum est non plane avertendum, etiam his variolas artificialiter dare oportet.

Puilli lactantes, qui lecto aut matris gremio continuo hærent, adeoque calore ut plurimum nimio foventur, ex infectione variolas aut habent numerosissimas, aut vix ullas; interdum vix febricitasse videntur, & pustulæ distinctæ non apparent.

§. II.

Infantibus, qui inter sextum & vigesimum quartum ætatis mensem vivunt, vel quibus dentitio fieri potest, durante variolosa febre, per calorem exclusus dens unus alterve propullulare solet, id quod ut

pluri-

plurimum sine periculo & difficultate fit, nili & antea dentium eruptio infantibus laboriosa fuerit.

§. III.

Scrofulosi facilius variolas insititias perferre solent.

Ita & rhachiticos minus ex iis pati observatum est.

Crusta lactea, tinea aliisque cutis efflorescentiis laborantes non magis ex variolis periclitari, sed eas facillime ut plurimum tolerare experientia constat:

Adeoque scrofula, rhachitis, crusta lactea &c. non sunt contraindicantia insitionis variolarum, e contra his laborantes ex variolis hilariores & magis sanos evadere frequenter observare licet.

§. IV.

Tussis, si fieri potest, ante insitionem arcenda est, nam frigidius regimen, quod tussi sæpissime obstat, ad febrim levandam necessarium est.

§. V.

Præparatio sanorum per medicamenta nocet, nam purgantia inutiliter debilitant, mercurialia & antimoniaalia conditionem corporis ante variolas non sine periculo mutant, neque patet, cuinam usui inservire possint ante variolas. Diæta nimis parca, & abstinentia a consueto victu magis roborante non raro nimis debilitat, imprimis adultiores. Nulla ergo in sanis præparatio fiat.

In

❦

In iis, quibus morbosa corporis conditio est, quæ febrim variolosam augere possit, equidem præparatio locum habere potest & debet, ita quicumque morbus magnus imprimis febrilis, qui insitioni repugnat, & vermes & tussis, & primarum viarum sordes, imprimis acidum in tenellis, quantum potest, tollenda sunt.

§. VI.


Ad insitionem sumatur, si fieri potest, materia recens ex variolis benignis suppurantibus variolosi ceterum sani.

Materia sicca, si adhibetur, videtur decursum morbi lentiolem facere & eruptionem tardare?

Sumatur materia ex variolis benignis. Exempla plura innotuerunt, ubi cautela hæc neglecta tristissimum habuit eventum; ex malignis variolis inoculatos non solum graviter decubuisse, variolas irregulares, confluentes ortas esse, sed & inoculatos periisse novimus.

Certum quidem non est, morbum alium præter variolas cum insitione posse transferri & inoculato communicari, sed consultius semper est & tutius, ex varioloso quoad reliqua sano materiam sumere,

ita



ita Medicus & sanæ suæ consulit, & ipsius inoculandi aut parentum sollicitudini & anxietati obvenit.

§. VII.


Operatio ipsa optime fit acu cote applanata, quæ pure recente, vel si hoc deficit, ope vaporis ex aqua calida emollito humectata, epidermidi uno alterove vulnusclo dimidiæ circiter lineæ longitudinis infigitur.

Locus insitionis generaliter aptissimus videtur esse in dorso manus, inter manus sinistrae pollicem & indicem, ubi per eorum dimotionem cutis tendi, adeoque acus accuratius sub epidermide infigi potest; & hoc quidem fit ita, ut nequidem guttula sanguinis sequatur.

In infantibus ob impatientiam hinc inde manum motantibus, ut certior sit infectio, duo vel tria sibi proxima vulnuscula fieri possunt.

In pusillis vero brachii locus infra deltoidei insertionem vulnusculis eligendus est, ne loco in manu suppurante, dum manu oculos fricare solent, his variolosum virus impartientur eosque inflamment. Qui vero locum insitioni inter digitos præferunt, linteo vulnusculum suppurans tegere possunt, ne nudum oculis vel ori admoveatur.

Non




Non videtur numerus variolarum & magnitudo morbi dependere a resorpti miasmatis copia ex magno vel pluribus infectionis vulneribus, uti quibusdam Medicis (G. Fordyce *Transactions of a Society for Improvement of medical and chirurgical Knowledge, Lond. 1793. Vol. I.*) visum est; potest tamen magnum vulnus, quale olim incisione longa, cui filum pure madidum per plures interdum dies applicabatur, febrim excitare majorem & ex febre major morbus & copiosior pustularum eruptio fieri.

Vulnusculum per viginti quatuor horas linteo tegatur, dein libero exponatur aëri.

Remedia externa infectionis vulnere applicata nullum in decursum morbi variolosi generalis effectum habere videntur. Aqua frigida tamen utiliter vulnere per totum morbi decursum applicatur, quo inflammatio topica minuitur, affectio localis citius & levius absolvitur, & magna suppuratio avertitur.

§. VIII,

Dantur, in quibus vulnusculum ab infectionis die sequenti suppurat, neque dein ullum infectionis vestigium apparet, his vulnusculum nimis grave inflictum est, & superveniens inflammatio & suppuratio miasma



ma cum fanguine & pure expulfit, quare inoculatio manu magis prævida repetenda est; vel pus variolosum ob singularem subjecti irritabilitatem nimium stimulum fecit, unde per justum ad resorptionem tempus in vulnere degere non potuit, sed inflammatione excitata per suppurationem virus variolosum evanuit.

§. IX.

In quibusdam altero post insitionem die vulnusculis accedit inflammatio, dein tertio, quarto die febris, & ante octavum diem oriuntur efflorescentiæ, minores quam miliaria, pustulæ quandoque copiosissimæ imprimis in trunco; hi a contagio dein liberi manere solent.

Si tarde inflammatur vulnus, die 6. 7. 8. sero etiam erumpunt variolæ, die 14. 15. 16.


Citâ vulnusculi inflammatio citum fieri decursum, citam febrim, non vero semper morbum malæ indolis denotat.

§. X.

Eruptionis variolarum insititiarum terminus indeterminatus est; in nostro climate inter diem 12 & 16 efflorescere solent. Visæ sunt, quæ 20 imo 21 die propullularunt, ubi nulla suspicio novæ aut naturalis forte infectionis aderat.

B

§. XI.



§. XI.

Quarto vel quinto ab insitione die sæpissime solent levissima cum febre, minutissimæ pustulæ, quæ vero nunquam suppurant, per totum quandoque corporis superficiem efflorescere, vel & rubore purpureo a tus, facies, vel aliæ partes tingi. Inde probabiliter levem morbum & parcam variolarum eruptionem præfagire licet.

§. XII.

Si fortuito in corpore ulcuscula, excoriations, vel vulnera alia adsunt, circa hæc eruptio fit copiosior.


In infantibus, qui tenera cute gaudent, citius eruptio fit; in rusticis, corio duro præditis ut plurimum serior observatur.

§. XIII.

In quibusdam, præcipue illis, quibus tarda fiet eruptio, vulnusculum ab insitione, quod communiter sub finem tertii diei rubere & inflammari incipit, demum 7. 8. vel 9. die inflammatur, signaque prima infectionis præbere incipit.

§. XIV.

Ut morbus levis sit, mercurialia a plurimis, & a multis



multis cum his antimonialia simul dari solent. Incertum est, an hæc medicamenta aliquid ad morbum faciant? Nam inoculati cum & sine mercurio æque facile morbum sæpe superant.

Quæ maxime juvant, sunt ea, quæ febrim minuunt, a magnitudine nempe febris eruptio pustularum & morbi gravitas dependent. Levis febris parcas facit variolas, magna febris magnum & periculosum reddit morbum cum copiosa pustularum eruptione.


§. XV.

Ut febris levis sit, & variolæ pauciores prodeant, requiruntur imprimis paulo ante & sub eruptione frigus externum, aër purus & liber, animi distractio grata, alvus libera, diæta refrigerans.

§. XVI.

Frigus summe necessarium est, sed ad thermometrum vix determinari poterit. Si aër siccus est, major frigoris gradus, si humidus est, minor utilis erit.

Si fieri potest, inoculati libero aëri continuo exponantur. Si æstate vel tempestate jam calida infitio necessaria fuit, in locis umbrosis ad septentrionem vel saltem



foli non expositis degat inoculatus. Ut frigus augeatur, non solum vulnusculum, sed & facies & manus continuo aqua frigida laventur, quod imprimis sub ipsa eruptione & in febris fieri debet; eo febris mox minuitur, & eruptio parcius fit. Etiam noctu, si febris gravior est, e somno æger excitetur & aqua frigida refrigeretur, aërique exponatur liberiori. Nil inde mali metuendum, dummodo a subita mutatione & aëre nimis ventoso caveatur.


§. XVII.

Eruptione facta, non nimis cito regimen hoc frigidum mutetur; sequitur enim sæpe, si ægri calidiori aëri subito exponuntur, nova secundaria eruptio largior. Die 4. 5. 6. imo ad decimum, undecimum usque a prima eruptionis die variolas sic mutato regimine effloruisse vidimus.

§. XVIII.

Alvus toto decursu libera servanda est, imo sæpe quidem mercurialia data probe inservire possunt, si non obtemperat, clysmata solvatur. Angli sexto ab insitione die purgans dare solent, non sine fructu.

In iis, qui per totum morbi decursum diarrhoea laborabant,



borabant, imo qui ob periculum infectionis naturalis, diarrhœa gravi affecti inoculabantur, morbus levior & minor variolarum copia observabatur.

§. XIX.

Si pustulæ, feбри jam ultra quartum diem durante, die 11. 12. 13. 14. nondum erumpunt, tunc larga eruptio metuenda est, quare tunc lotio ope spongiæ aqua frigida madidæ in facie & manibus continuanda erit, artus vero inferiores, ut superiores partes liberentur, calida foveantur.


Decursum morbi lentum, dummodo febris non nimis cito infestet, pauciores sequuntur pustulæ, dummodo frigidum continuo observetur regimen.

XX.

Fuerunt, quibus eruptio copiosa fiebat per 8 imo 11 dies, ubi inter paucas pustulas jam læte suppurantes, novæ propullulabant variolæ, ut tandem tota tegetetur cutis.

§. XXI.

Pusillis quandoque circa vulnuscum erysipelas oritur late diffusum, justo tempore febris accedit,
sed



sed nulla fit eruptio; hi ab infectione liberi manent.

Infans, cui bis, ter & vario modo infectio adhibebatur, sed frustra, non multo post ex variolis naturalibus inficiebatur.

§. XXII.


In naturalibus variolis eruptio fieri solet die duodecimo; in artificialibus vero plurimi Medici die 9. 10. eruptionem fieri volunt, hinc a multis, ut vis naturaliter infecti salventur, die eodem vel secundo infectionem fieri volunt, quo artificiales variolæ ante naturales erumpant, sed in nostro climate, uti supra dictum est, raro ante 11. 12. diem variolæ efflorescunt.

§. XXIII.

Sæpius infantes, ex variolis infecti fiunt saniores, robustiores & hilariores, qui antea variis ægritudinibus obnoxii & debiles erant.

XXIV.

Quidam homines valde parvam ad variolas habere videntur dispositionem, ita, ut licet periculo naturalis infectionis expositi non afficiantur, sicque adolescentant, imo senescant, si his vulnuscule miasma applicatur,



plicatur, oriri solet consueta in vulnere mutatio, inflammatur nempe die quarto, & sensim suppurat, levis quoque oritur die 9. 10. febricula sed nulla vel paucissima oritur eruptio.


§. XXV.

Singulare est, infantes, etiam neonatos, si inoculantur, mercurialia magna dosi innoxie ferre, si miasmate ex insitione inficiuntur; eos vero, qui, si miasma applicatum fuit, ab infectione liberi manent, mox sæpe ab usu mercurialium salivationem pati.

§. XXVI.

Medicus inoculator, qui variolas naturales vel artificiales passus est, si vulnus sibi infligit acu pure varioloso madida, interdum ex hoc vulnere nil quidem patitur, neque vulnusculum inflammatur, alio vero tempore, neque id raro, vulnusculum eodem die inflammationem contrahit, dein suppuratur, & accedit interdum horripilatio & febris species, cum anxietate quadam & inquietudine. Unde fit, ut hæc symptomata non semper, sed quandoque tantum observentur?

Simile



Simile quid fit Anatomicis, si cadavera ex phthisi,
lue venerea, febris putrida, dysenteria mortuorum se-
cantes cultello digitum vulnerant.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

TIFFEN Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
1	2	3	4	5	6	7	8	9
10	11	12	13	14	15	16	17	18
19	20	21	22	23	24	25	26	27



A	1	2	3	4	5	6	M	8	9	10	11	12	13	14	15	B	17	18	19
		R	G	B			W	G			K			C	Y		M		

TIFFEN Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007